NEXUS GRATIÆ DIVINÆ, CUM VOLUNTATE CREATA, IN Sensu composito utriusq;

RETINENS infallibilitatem metaphysicam, ex parte gratiæ supernaturalis, ET libertatem indifferentiæ, ex parte voluntatis creatæ; æquè ad ponendum, ac non ponendum ACTUM SALUTAREM,

DICATUS

PERILLUSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. JOANNI HERCULANO MATUSZEWIC,

Sac: Th: Doct: Canonicorum Regularium Lateranensium per minorem Poloniam & M. D. Lithuaniæ PRÆPOSITO GENERALI,

OBLATUS

PER

R. P. FRANCISCUM BARANSKI,

Canonicum Regularem Lateranensem, Defendētem Conclusiones præscriptas,


AB

Adm̄ R. P. ANTONIO HARABURDA,

Can: Reg: Latt: PRIORE Conv: Gen: SSm̄i Corporis CHRISTI, & Actuali PROFESSORE Theologiæ Scholasticæ, eoq; PRÆSIDENTE, Defendenti ad resolvendas difficultates.

Anno ab existentia physica Causa meritoriæ gratiarum divinarum 1711. Die 28. Iunij.

IN STEMMA
PERILLUSTRIS REVERENDISSIMI DOMINI.



Insima contemnit, ſed quæquæ altiſſima poſcit
Ad cælos CYGNUS Nomina ferre ſciens.
Sublimis ſemper MATUSZEVICIA mens eſt
Obtinet hæc meritis, quæ petit alta ſuis.

PERILLVSTRIS
REVERENDISSIME DOMINE,
D. PRÆPOSITE GENERALIS,
ac Mecænas Noster Colendissime.



Olis jubare nitidiorem Gratiarum Divinarum Nexum cum voluntate creata benevolè à nobis candidissimus Tuus suscipit Olor. Perillustris Reverendissime Domine. *Nec recusat sacrarum gratiarum ferre pondera, ut earum faventibus Ethesiis sublimiùs in altùm feratur. Libens Methaphysicam infallibilitatem efficacis gratiæ, cum libertate indifferentiæ voluntatis creatæ conciliatam, ad actus salutares amplectitur; ut actuum salutarium Remuneratori complaceat. Scit benè non alios posse placere Diis, præter Hylas, qui eximio sui candore Divorum ad se trahunt affectus; idcirco Gratiarum Divinarum exposcit nitorem, suscipit, illoq; nimiùm delectatur. Cedant hinc conglobata encomia, cedant exquisitæ Ministræ Deorum Aquilæ laudes; multò majora candidissimo debentur CYGNO, qui etiam Deorum Minister est, nō tamen fulminis, sed gratiæ, quia sapiētiæ. Nescit namq; fulminare CYGNVS, quia intimus pacis amicus, & quamvis aliquando certamina suscipit, non tamen suscitat, nisi, provocatus sic repugnat. Videt totus Lateranus Orbis Te verè Cygneum esse,* Perillustris Reverendissime Domine, *cujus candidissima facta candido Nomini correspondent. Novisti optimè quòd suaviùs in Divinis sonet auribus quidquid è religioso progreditur pectore, ideò animosum mundo intonasti vale, & linquens quosvis seculi honores innocuum maximè adamasti candorem, ut necdum nativo CYGNEO contentus, candorem AVGVSTINI indueris. Hic Te cuncti pijssimum intuebantur Tiberium, dùm profano Helicone relicto, sacratioribus Te adjunxisti Musis, illud CYGNO subscriptum ingeminans, dulciùs ut canam. Grandiores ferre non recusasti labores, imò in ijs ferendis verus exstiteras Iazon, quos solo Sacræ Religionis amore, per diffusum grandium difficultatum continuabas Oceanum, ut ijs bono communi, aureum valuisses obtinere vellus. Propter excelsas virtutes Tuas, dignitas PRÆPOSITVRÆ GENERALIS Te in Coadjutorem cum*

futura successione in Prælaturam olim Perillustri & Reverendissimo D. MICHAELI RUSIECKI S. Th: Doctori, Præposito Generali Canonicæ hujus *invitabat, protunc tamen ad alium devoluta, non diu ipsius contenta obsequio, iterum ad Te rediit, ut à Te suum cæpisset ornamentum. Et quamvis ad suscipiendum honorem verus adfueras Pyrrhus, suscepisti tamen magis cupiens prodesse, quàm præesse. Et hæc est unica felicitas nostra, quòd Te gratiosissimum Patrem nostrum intuemur, veneramur. Credimus hoc speciale de thesauris omnipotentiæ suæ donum nobis præstitisse superos, postquam Te gratiam, quia IOANNEM, in celsâ Paterna Sede collocârunt. Quid nobis ultra desiderare licet? quid Tantalea appetere siti? dùm talem veneramur PRÆLATUM, qui semper gratiosus est, nam &* IOANNES *&* CYGNUS *gratiam sonat. Nunc læta nobis incæperunt secula, quando sub gratioso regimine, quia Cygneo permanemus. Non enim Te Dominante, quidpiam de funesta malorum experimur Iliade, sed mera Halcyonia, qui ubiq; Argus es, ut prævideas imminentia nobis pericula, eaq; repellas. Intuemur etenim Te in pullos Tuos verè Cygneo, quia intimo ferri amore, quorum nescis injuriam pati, sed acerrimè eorum defendere integritatem, dulce Tibi est, & decorum. Sed tamen si Angelico pollerem ingenio, siq; totus in linguas verterer, celsarum virtutum Tuarum, non essem sufficiens Panegyrista. In Te cernitur religio Numæ, constantia Milciadis, modestia Dionis, munificentia Adriani, justitia Trajani, affabilitas Titi, magnitudo Constantini, pietas Gratiani, sapientia Theodosij, quorum ita unus omnia expressisti decora, ut meritò in Te compendium virtutum, censeatur permanere. Et certè quis non diceret compendium ibi esse virtutum, ubi etiam ordinis supernaturalis natura gratia sanctificans, proculdubio semper existit, cujus non aliæ proprietates eidem coèxistunt, nisi omnes virtutes Theologicæ & Morales, ad quas recipiendas dum Gratiæ Divinæ actuales Intellectum ac voluntatem prævenire, subsequi, & adjuvare debeant, eas non purè sufficientes, sed semper efficaces, ad merita cumulanda supernaturalia, pro præmio æternæ beatitudinis, post plurimas Annorum Myriades vitæ meritoriæ, percipiendo, intimo filiali apprecor voto*

Perillustri Reverendissimæ Dominationi
Vestræ.

infimus Cliens

FRANCISCUS BARANSKI C. R. L.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ,

De Gratia Divina ejusq; privatione prout demeritoria ac meritis.

I.

GRatia Divina juxta Theologiam est Donum DEI creatum intrinsecum creaturæ rationali entitative supernaturale conferibile à DEO ex meritis Christi, in finem beatitudinis supernaturalis.

II.

PRo præsenti statu elevationis dantur hujusmodi gratiæ actuales, & habituales, suntq; simpliciter necessariæ saltem divisim ad quemlibet actum salutarem, etiam illum, qui sit initium Fidei Divinæ, disponens ad justificationem internam.

III.

ACtuales gratiæ influunt in actus salutares in genere causæ moralis & formalis. Habituales verò in genere causæ physicæ efficientis.

IV.

DAtur qualitas non vitalis transiens entitativè supernaturalis intrinseca creaturæ, quæ interdum etiam in præsentia habituum, eorundem

debet supplere influxum physicum efficientem in actus salutares, sivè in eos, v. g. qui essent præcepti sub mortali pro instanti determinato, sivè in eos deliberatos & efficaces, qui essent in circumstantia gravis tentationis ad mortale vitij oppositi &c. &c.

V.

SOla gratia non est tota, & adæquata ratio agendi, sed hæc coalescit ex gratia divina entitativè supernaturali interna, & potentia vitali naturali.

VI.

HAbitualis Gratia sanctificans est quidem natura in ordine supernaturali respectu omnium habitualium virtutum Theologicarum & Moralium, tanquam suarum proprietatum, & potentiarum in quas tamen non influit physicè efficienter.

VII.

GRatia sanctificans, simul cum omnibus habitibus augetur intensivè non extensivè, non minuitur unquam, sed corrumpitur.

VIII.

ACtuales gratiæ secundùm se indifferentes postquam absolutè fuerint collatæ creaturæ, etiamsi sint unius ejusdemq; speciei, diversas tamen obtinent denominationes. Quædam enim illarum incipiunt denominari efficaces, quædam inefficaces, seu purè sufficientes.

IX.

QUibus gratijs secundùm se, componibilibus

cum

cum actu, vel carentia actus omnibus invitantibus ad actum salutarem voluntas creata ex propria sua determinatione in sensu composito, earundem secum præstat consensum conditionatè futurum, istæ gratiæ post prævisum à DEO per mediam scientiam dictum consensum incipiunt denominari efficaces. Quibus autem invitantibus ad actum salutarem voluntas creata ex propria sua determinatione præstat dissensum istæ gratiæ post prævisum à DEO talem dissensum incipiunt denominari infallibiliter inefficaces.

X.

DIssensus à voluntate creatâ præstari potest entitati gratiæ suadenti actum salutarem ponendum etiam per puram omissionem cōditionate futuram in se ipsa cognoscibilem à DEO per scientiam conditionatè futurorum liberorum pro aliquo certo instanti temporis.

XI.

IN ratione infallibiliter inferentis actum salutarem, denominatio gratiæ efficacis & etiam in ratione infallibiliter, non inferentis actum salutarem denominatio gratiæ inefficacis, nec debet nec potest, utraq; hæc vel alterutra soli entitati gratiæ intrinsecè adæquatè convenire. Quarum gratiarum denominativè sumptarum debet esse metaphysica infallibilitas simul stans cum perfectissima libertate voluntatis creatæ, talem enim infallibilitatem requirit indispensabiliter prædestinatio & reprobatio divina hominum, quæ metaphysicè infrustrabilis & infallibilis est.

 XII.

XII.

LIquet ex præ inſertis gratiam efficacem denominativè ſumptam nullatenus poſſe conſiſtere, tam in ſola entitate auxilij phyſicè prædeterminantis, quàm etiam cum tali auxilio in quocunque alio.

XIII.

NEq; denominatio gratiæ efficacis præter entitatem gratiæ etiamſi indifferentem poteſt conſtitui decreto prædefinitivo actus ſe ipſo immediatè infallibiliter inferente actum ſalutarem independenter à directione ſcientiæ mediæ ſivè tale decretum dicatur antecedens ſivè concomitans.

XIV.

IN ratione deinde medij proximè apti ſub quo DEUS videt infallibiliter ponendum actum ſalutarem gratia efficax denominativè ſumpta dicit intrinſecè conſtitutivè præter entitatem ſuam indifferentem & præter conſenſum conditionate futurum à DEO prævîſum ex propria determinatione voluntatis creatæ exiſtentis ſub entitate gratiæ abſolutè ſibi collata, inſuper dicit ſcientiam mediam.

XV.

IN ratione deniq; ſpecialis beneficij Divini Gratia efficax dicit intrinſecè conſtitutivè præter enumerata conſtitutiva etiam decretum DEI metaphyſicè in fruſtrabile collativum gratiæ denominativè efficacis formatum ex directione ſcientiæ mediæ.

XVI.

PUrè ſuffiiciens gratia ſeu inefficax denominativè talis à DEO datur, non propter ſolum posse operari, ſed etiam & propter ipſum operari; eo ſenſu, quòd in tali denominatione entitas gratiæ ſecundùm ſe ita proximè ſit ſufficiens principium ad operari, ut non ſit aliud neceſſarium auxilium ſupernaturale ad actum ſalutarem juxta illud Iſaiæ 5to quid eſt, quòd ultra debui facere Vineæ meæ, & non feci? clare itaq; patet non ex defectu alicujus principij à DEO volente omnes homines ſalvos fieri, ſed præcisè ex ſolo abuſu propriæ libertatis in ſenſu compoſito entitatis gratiæ reprobatio impiorum adultorum hominum provenit. imò & parvulorum perditio, non ex DEO, ſed ex cauſis ſecundis applicationem gratiæ non permittentibus, (quas DEUS non tenetur impedire, & miraculosè avertere) contingit.

XVII.

IMpius homo non aliâ formâ efficitur peccator, & formalis inimicus DEI eſt, niſi privatione gratiæ ſanctificantis, prout demeritoriè inducta, quæ ut talis dicit intrinſecè conſtitutivè. 1mo actionem peccaminoſam. 2do ſubſequentem immediatè privationem ſecundùm ſe gratiæ ſanctificantis. 3tio negationem interruptionis factæ per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ eſt juſtificatio interna & renovatio hominis.

XVIII.

SUppoſita elevatione hominis ad ſtatum ſupernaturalem per gratiam habitualem ſanctifican-

tem, aliaq; dona habitualia & ſuppoſito debito habendi dictam gratiam pro illo tempore, dùm homo gratiam ſanctificantem voluntariè amittit propter actionem peccaminoſam ex propria ſua determinatione in ſenſu compoſito entitatis gratiæ factam. Talem hominem DEUS in ſtatu peccati & inimicitiæ ſecum exiſtentem, etiam per abſolutam ſuam potentiam ſolo libitu ſine infuſionæ gratiæ ſanctificantis vel æquivalentis doni ab eſſe peccatoris & inimici ſui ad non eſſe peccatoris & non eſſe inimici transferre non poteſt.

XIX.

GRatia ſanctificans habitualis metaphyſicè opponitur peccato mortali, tam actuali quàm habituali, idcirco nec divinitus eſt componibilis cum quocunq;.

XX.

ETiamſi in nulla ratione peccatum mortale ſit intrinſece infinitum, pro illo tamen ſatisfactio finita intrinſece, ut ſit condigna implicat, quæ condigna cùm intrinſecè infinita debeat eſſe viribus puræ creaturæ creatæ & creabilis fieri nequit.

XXI.

MErita ſupernaturalia puræ creaturæ in ſtatu præſentis elevationis aliqua de condigno aliqua de congruo dantur, quæ entitativè intrinſecé debent eſſe ſupernaturalia ad proportionem cum præmio in ordine ſupernaturali.

XXII.

SUb meritum de congruo hominis viatoris non poteſt cadere prima gratia actualis conferenda ipſi merenti.

XXIII.

XXIII.

SUb meritum de condigno hominis juſti viatoris non poteſt cadere prima gratia habitualis, & prima gloria, neq; poteſt cadere perſeverantia finalis, poſſunt tamen hæc cadere ſub meritum de congruo, licet non infallibiliter.

XXIV.

SUb meritum de condigno hominis juſti viatoris poteſt cadere augmentum gratiæ habitualis, & augmentum gloriæ.

A. M. D. G. B. V. M. Honorem.

